

www.e-rara.ch

**Iusta defensio antiquissimi diplomatis quo Ludovicus imperator
coenobium nobilium virginum Lindaviense nono abhinc seculo stabilivit**

**Rassler, Maximilian
Constantiae, anno 1691**

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24563>

Augustissma.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



AUGUSTISSIMA.

Fugit ad sinum Majestatis Tuæ non libellus tantum iste, nullo non nomine exiguus, sed unà mecum totus meæ nupèr reluctantis curæ ac fidei commissus, Lindaviensis Parthenon. Audaciam necessitas excusabit. Nec enim in leges Reverentiæ peccant miseri, cum adversus potentiorum vim, ab jis expectant opem quæruntque, qui

E P I S T O L A

hanc afferre, cùm possint, volunt. Jam diu est, quòd Majestatem Tuam non aliud delectat magis, quàm erigere afflictos, & iniquo sub jugo gementibus aliquid afferre consolationis. Parthenonem hunc meum multa jam diu premunt mala; & quamvis ille à sui ortu non pauca numeret secula, calamitates tamen haud paulò plures sunt, quibuscum luctari oportuit. Nunquam autem plures in illum incubuere, quàm inde ferè ab exordio prioris seculi. Tum enim cùm Urbs, cujus mœnibus claudimur, veteres ritus ac Sacra mutâisset, quid non egit, ut in errorum suorum communionem nos quoque pertraheret, & tota Lindavio Roma, verâque Religio exularent? Perstitimus, quæ Dei fuit Bonitas, & adversus vim perinde, ac illecebras & blandimenta, fortes atque invictæ, locum, dignitatem, Fidem tuitæ sumus: quantâ tamen, Deum bonum! cum rerum nostrarum bonorúmque jacturâ, dum hi modò, nunc illi decerpunt aliquid & abstrahunt, nòsque præclare nobiscum agi putamus, quòd vitam, animam, Deúmque adèò ipsum retineremus. Factum equidem est hac & temporum (nam & bella atrocissima, ac diuturna totam interea patriam gravissimè afflixere, ut de aliis calamitatibus taceam) & hominum injuriâ, incuriâque, ut è duodecim annuorum redituum partibus vix una jam superesset; accisa circumscriptaque passim omnia, nòsque in eas redactæ angustias, ut inter beneficia numeraturæ videremur, si quò sua quamque voluntas ac facultas traheret, relicto Cœnobio, dilabi liceret, magnâque Urbem molestiâ liberare.

Non cessimus his difficultatibus. Sustentabant nos Cœli favor, Austriacæ post Deum ac Superos Domûs Clementia ac Benignitas, & una, quam tot è naufragiis superstititem servabamus, antiquissimi Diplomatis Tabula: hâc salvâ nos quoque non perditas existimabamus, & ejus ope
melio-

N U N C U P A T O R I A .

meliozem ad fortunam postliminio reversuras confidebamus. Advertit ea res Urbanos: nisi sunt subtrahere id, cui nostra incolumitas tot inter procellas innatabat. Prodiit eorum ex numero Heiderus quispiam; Diploma tot seculis pro vero ac legitimo agnitum, plurium Cæsarum Authoritate stabilitum; ut falsum, ut ab Impostore aliquo nequissimo perinde ac rudissimo confarcinatum traducere ausus est. Nos è diverso studuimus iusto illud libro vindicare. Sed cum, ut in rebus antiquissimis solet, aliqua minus explorata in medium allata essent, in ipsam usque Saxoniam itum est, & quæsitus Helmstadii Conringius, qui ut Eruditorum hujus temporis inter Novatores facile princeps, demonstraret; non posse has tabulas, quod affirmabamus, originem suam seculo nono debere; sed aliquot demum post seculis in Orco conceptas, has in auras obstetricante perfidiâ educatas, èo, unde emerferunt, relegandas esse. Atque hæc tantâ confidentiâ Scriptor iste, & malæ causæ patronus peior, asseruit, ut actum de Diplomate, actum de nobis, non ipse tantum, sed Urbani omnes, & quos in partem isti attraxerant, conclamarent.

Quamquam autem nos possessio, nos tot seculorum decursu nata, quam dicimus, Præscriptio tuebatur, & jura nobis adjudicabat, quæcunque virtute tam antiquarum Tabularum prætendebamus, ut ut dubij essent earum natales; ne tamen in nobis, vel multò magis in Majoribus & Decessoribus nostris hæreret tam turpis labes; quòd non nisi dolis, fraudibus, commentis parta nobis sint, quibus fruimur, quibusque frui poteramus ac debebamus, jura ac privilegia, visum est Diplomatis causam denuò agere, & ipsam Conringij Censuram, iniquam sanè & iniustam, saniore ac justiore Censura castigare; sicque unâ eadèmq; operâ & Majorum nostrorum fidem famamque, & res nostras spèsque omnes

EPISTOLA

stabilire, atque contra exultantes, nobisque passim insultantes adversarios tueri ac defendere. Hoc agit libellus iste, & agit, ut arbitror, non infeliciter; plurimorum certè aut errorum, aut mendaciorum convincit Conringium, eumque suo Censoris munere impotenter usum esse demonstrat. Sufficere utique ista possent, ut nos, ut Imperatoriæ istæ Tabulæ in antiqua tot retro seculorum possessione relinquere-mur, eorumque conatus audirent pessimè, qui nos illâ deturbare audacter non minùs, quàm fraudulenter, laborarent. Sed jam diu est, quòd etiam bona causâ periclitatur, si illam Magnorum benevolentia ac gratia non sustentet: nam ceteroquin sæpissimè vis pro jure est.

Hoc igitur est, quod à Majestate Tua, Imperatrix Augustissima, cum Libello hoc ad pedes tuos provoluta etiam atque etiam quàm demississimè rogo; ut causam nostram Tuam esse velis; ut, quæ crepto hoc Diplomate vacillant omnia, Jura nostra asseras; neque nos potentiorum sinas esse ludibrium. Dicere cum Esthere possem: *Dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro*: Esth. 7. v. 3. adeò non de nihilo agitur, sed jugulum totius Parthenonis nostri petitur; qui non diu post nullus esset, si suæ adversæ parti machinæ procederent. Admitte proinde, Imperatrix Augustissima, admitte cum toto meo Parthenone supplicem, & ita arctè nos sinu tuo complectere, ut nisi per Te petere jam nos nemo possit.

Neque verò id ego postulo, ut etiam cum aliorum injuria nos tegas, & quod alienum est, nobis tribuas: est enim vero id à vera, & Tua maximè Clementia alienissimum; unius miseræ alterius calamitate mederi, & fieri injustam, ne parùm misericors videare. Juvet tantùm Majestas Tua, sua repetentes: faveat sexui imbecilliori à fortioribus si non oppresso, presso certè; faveat Nobilitati, cujus bono, honesteque

N U N C U P A T O R I A .

que Nobilium puellarum educationi Parthenon hic consecratus est ; faveat antiquissimæ veræque Religionis , atque adeò Dei ipsius causæ, qui veros sincerósque cultores intra mœnia hæc porrò non numerabit, si nos cogamur exulare. Atque de his cùm agatur , nullis præterea rationibus , nullis argumentis opus esse video, ut, quod volo, persuadeam. Nativo velut pondere Majestas Tua in id non tam propendet, quàm rapitur, ut suscipiat negotia, quibus tam præclari fines promoventur.

Nihil proinde dicam de Serenissima Palatinorum Comitum familia, ex qua originem Majestas Tua trahit : etsi meritò non ab alijs potiùs, quàm ab his opem speret noster Parthenon, qui Sacri Palatij Comitum pia liberalitate ac beneficentiâ se meminit fundatum ; atque constitutum. Silebo tot exempla paternæ, tot exempla propriæ Benignitatis ac Charitatis, quibus eos complecti placuit, qui arctiori Sanctioris vitæ vinculo se Deo obstringunt ; quæ Majestati Tuæ stimulos admovebunt efficacissimos, ne nos velit esse derelictas. Non illud inculcabo ; de Maximorum Imperatorum, intèrque hos Augustissimi Tui Leopoldi, autoritate atque existimatione potiùs agi, quàm de nostrâ ; ut qui, si commentitiæ sunt nostræ Tabulæ, temerè illas toties atque injustè approbârint, confirmârint. Non, inquam, hæc aliâque complura commemorabo, quæ Majestati Tuæ incitamento esse possent, ut votis meis ac desiderijs clementissimè annueret. Satis enim illi est, quòd hîc certandum sit, *Pro DEO & Justitia*. Pro his siquidem Majestas Tua unicè gaudet, se aliquid posse ; nec ob aliud Coronas, Sceptra, & Augustissimos Titulos adamat, quàm quòd facultas suppetat & suum multis tribuendi, & Magni Numinis agnitionem, verùmque cultum per regna latè, ac Provincias propagandi. Hinc illæ tam ardentes, tam humiles, tam cre-

bræ

E P I S T O L A

bræ ac publicæ preces ac suspiria, quibus Majestas Tua Cœlum fatigat & expugnat, ut Exercitibus illis suis adsit, qui contra fœdissimos Mahometi errores, & contra illa agmina pugnant, quæ hos secum circumferunt; quæque his fœderata, alienis inhiant, & barbaras eâdem operâ promovent, ac sacrilegas superstitiones.

Ita autem cùm caræ Majestati Tuæ serióque adamatæ sint Justitia ac vera Religio, quis dicat, quàm cara Ipsa vicissim Cœlo sit & Magno Numini? Equidem, si in paucis cari Deo, ab eóque præ reliquis dilecti sunt, quorum vitam admirabili secundorum, adversorúmque casuum varietate contextit, quis & totâ Serenissima Domo tuâ, & Augustissimo Conjuge, & Majestate Tua Deo carior gratiórque existimari potest; quibus prospera evenire noluit, nisi priùs adversa expertis; nihil dextrè cadere, nisi multa priùs sinistrè fluxissent; nullos serenos affulgere soles, nisi post densa nubila? Quid attinet hîc percensere ista, quæ Mundus vidit & obstupuit, quæque tot jam antea calamis scribendi materiem suppeditavere? unum recentissimum, quódque nunc ob oculos aurésque versatur, nefas sit omittere.

Triumphârant jam per annos aliquot de Ottomanna barbarie Exercitus vestri: profligârant secundis prælijs numerosos exercitus; Urbes expugnârant; Provincias sub jugum miserant. Inviçti videbantur, & fortunam secum propitiâ ferre, quacunque pedem intulissent. Vix inierat annus Seculi nonagesimus, cùm, mutatâ rerum facie, vincere Barbari, Cæsareas internecione delere Legiones, Duces fortissimos abstrahere in vincula, urbes ac munimenta, tanto Christianarum cohortium sanguine empta, denuó expugnare. Iterum nimirum lætis tristia erant miscenda; iterum victorijs clades aliqua præludere debuit. Restauravit immanissimus hostis vires, copias coegit & numero & robore vali-

N U N C U P A T O R I A

validas : transmissio Savo nostris imminebat , iisque nullo , ut sperabat , negotio victis , totam iterum spe devorarat Ungariam.

Sed illuxit decima nona Augustidies , & vesper lucis S. Stephano primo Ungariæ Catholico Regi sacræ ; cum prælium pugnatum est omnibus retro seculis memorandum. Vicit fortissimus Heros Ludovicus Badensis , vicit LEOPOLDUS Cæsar , vicit Deus : ingenti clade mulctatus Barbarorum factus , & cæsa tot eorum millia , quàm multa hoc tot annorum bello simul nunquam cecidere : capta castra , Turcicæ opulentia plena ; rejectus trans Savum hostis. Actæ ubique Deo Exercituum gratiæ , tantò impensius , quò postadversa lætitiæ sensus fuit jucundior. Pergent modò favente Cælo nostri milites , & tam præclaræ victoriæ , ut spes est certissima , fructus metent uberrimos ; docebuntque hostes Christiani nominis , non vincere se tantum , sed & victoriâ uti scire.

En igitur , Imperatrix Augustissima , quàm jure Majestates vestras Cælo carissimas dixerim , propterea quòd vobis Justitia , Deique sincerus cultus tam serio cordi sint. Non desinet Deus Provincias & Regna vobis addere , augere vitæ tempora , Prolem servare lætissimam , & tot sceptris jam ac coronis ornatissimam , si eadem etiam deinceps Majestates vestras curæ occupabunt.

Harum partem aliquam modicam si in me quoque ac Parthenonem meum Majestas Tua derivarit , & justissimæ causæ nostræ favere voluerit , in eo totæ erimus , ut nulla non dona , nullos non favores ac gratias à DEO exoremus , quibus cumulata Majestas Tua quàm diutissimè vivat & proficit , Augustæ Proli , Conjugi Augustissimo , toti
b
Imperio

EPISTOLA NUNCUPATA.

Imperio, Orbique Christiano universo. Sic suo & crediti
sibi Parthenonis nomine vovet ac spondet

MAJESTATI TUÆ

Æternùm devotissima, obsequentissima.

Lindavij 26. Sept. 1691.

Maria Magdalena Abbatissa
Parthenonis Lindaviensis.